



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 76. Et cum peruenissent ad locum. v. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

O Apostoli & Prælati gregis Domini, etsi ego minimus, interdum confidero defectus quosdam in vobis, cum vos Christo Domino Comparatis, tamen multo plures & graviores inuenio in me, si velim iusto oculo me vobiscum comparare. Non extendam igitur aliter linguam meam contra vos, quam ut Deo postpositos mihi longe anteferam, & toto corde amem.

§. 76. Et cum peruenissent ad locum. v. 40.

Videlicet Locum, orationi suorum discipulorum destinatum in Monte, vnum ex multis locis montis huius, vbi octo discipulorum volebat disponere, ad excubias seu vigilias sacras secum peragendas. Ibi dixit & fecit Dominus, quæ mox dicentur.

Sive locus, imo saluete multa loca, à S. Luca in vno loco subindicata: multis locis peccatum est, ideo & peccata in multis locis expiantur. Peccatum est in hortis, peccatum in villis, peccatum in montibus, peccatum in noctibus, peccatum in diebus. Ecce in omnibus his plenam adhibet medicinam.

§. 77. Dixit illis orate, ne intretis in tentationem. v. 40.

Iam Dominus discipulos suos in duas turmas distinxerat, vna dignitate minor octo personas, altera excellentior, tres obtinuerat, nempe Petrum, Iacobum & Ioannem: singulis etiam sua mandata dante: priori dixerat, pauca nimirum: *Sedete hic, donec vadam illuc & orem*, vti refert Matthæus. Alteri autem plura, secretioraq; communicauit, nempe contristationem, tristitiam, pauorem ac tædium suum, dicendo: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Vti referunt Matthæus & Marcus: atque interim progrediendo cum illis ac consistendo peruenerat ad locum destinatum, vbi illos tres viros amicissimos & Cardinales, Pontifex noster Iesus Christus, iussit subsistere, dicens: *Orate, ne intretis in tentationem*. Quasi diceret: Cæteris dixi sedete hic donec vadam & orem, minoribus minora imponens: Vobis maioribus dico plus: *Orate*. Quid autem? ut nihil mali vobis eueniat? nequaquam multa mala bona sunt: Quid igitur? ut quicquid bonum est, impetretis? ne hoc, quia multa bona reuera mala sunt homini: Quid igitur? septem orationes alias traditas, cum docuit Dominus orare suos, sic: Pater noster &c. Ne hoc totum nunc dicit Dominus, sed partem eius, illam scilicet, quæ huic tempori maximè quadrat. Quæ autem est ista? *Ut non intrent in tentationem*; Hæc enim proxima erat tunc, cum hoc suadebat Dominus: & ista tentatio erat magni momenti, terribilis & amara valde, significata per exhibitionem diabolicam.

KA

Benig;